

optima est, & necessaria, si quidem est de rebus honestis, & necessariis decori Religionis, non enim peccata grauia conuenit aliis extraOrdinem propalare. Neq; praedictis obstat, qd dicti Fratres itinerantes sint Sacerdotes, & necessario debeant celebrare, & per consequens ante celebrationem debeant praemittere Confessiones suorum peccatorum iuxta definitam in Concilio Tridentino Sess. 13. cap. 7. Et sic praesumere debemus in dicta generali licentia fuisse concessam facultate pro casibus in Religione reseruatis, ne contra definitionem Concilii talis Religiosus ad celebrandum, aut communicandum accederet. Nam huic obiectioni respondetur, quod quando Religiosus se inuenerit extra Monasterium sine licentia sui Praelati, vt absoluat a quocunq; a reseruatis, & sine scandalo non potest non celebrare, aut communicare, bene potest accedere ad celebrationem, aut communionem sine Confessione, cum sola Contritione, prout tenet Angles in Florib. 9. 4. in. q. de Confessione, art. 8. difficult. 2. dub. 4. pag. 9. Concilium enim Tridentinum licet diffiniat ante dictum accessum, Confessionem Sacramentalem esse praemittendam, addit